

SKODA, JOSEPH

Dissertatio inaug. medica de morborum divisione

Haykul
Vindobonae
1831

EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- ➲ Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- ➲ Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- ➲ *Suchen & Finden:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.*
- ➲ *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)*

* Nicht in allen eBooks möglich.

Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

Weitere eBooks

Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.


Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>

Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin
Wien

D 3.998







DISSERTATIO
AUGURALIS MEDICA
DE
**M O R B O R U M
D I V I S I O N E**

quam
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI DECANI,
nec non

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM

pro
DOCTORIS LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONO-
RIBUS RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOSEPHUS ŠKODA,

Cechus Pilsnensis.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 1831.

VINDOBONAE.

Typis Antonii de Haykul.

) 3998



THE HISTORY OF THE PROTESTANT CHURCH IN GERMANY

BY

J. F. DE WITTE, D.D.

TRANSLATED FROM THE GERMAN
BY W. H. COOPER, M.A., BISHOP OF LICHFIELD,
AND MEMBER OF THE HOUSE OF COMMONS.

WITH A HISTORY OF THE CHURCHES OF
GERMANY, AND OF THE REFORMATION
IN GERMANY.

IN TWO VOLUMES.

VOLUME II.

1774.

PRINTED FOR J. DODS, AND SOLD BY
J. DODS, AND BY T. C. DODS, IN LONDON,

AT THE SIGN OF THE ROSE, IN NEW BOND STREET.

ALSO, AT THE SIGN OF THE ROSE,

IN THE

ROSE,

IN THE

ROSE,

IN THE

ROSE,

IN THE

ROSE,

IN THE

ROSE,

IN THE

ROSE,

De morborum divisione.

Si ad explicanda vitae phaenomena lex oppositionis dynamicae, per totam naturam necessario vigentis, assumitur, sanitas definiri debet qua aequilibrium inter negativum et positivum vitae factorem. Hoc assumto duplex tantum aberratio ab isto aequilibrio cogitari poterit, prout vel positivus vel vero negativus vitae factor alterum superat, nam aequabile et positivi et negativi factoris incrementum oppositionis legi adversatur; ut itaque ex lege oppositionis morborum divisio maxime generalis esset:

- I.* in morbos ex pravaleente factore positivo
- II.* in morbos ex factore negativo excedente.

Vita in eodem perfectionis statu manere non potest, quum quies vitae conceptui penitus repugnat, ergo vitae universae scopus vel est sese perficiendi vel vero abeundi in statum minus perfectum.

Si ultimum qua scopus assumitur, mors universa exinde sequeretur, ut ideo vitae omnis scopus alias esse nequeat, nisi semet ipsam magis magisque perficiendi, seu scopus vitae est incrementum factoris positivi; hinc aberratio vitae ad polum positivum, cum illa tendentia semet ipsam perficiendi congruens, qua processus sui

generis, per stadia sibi propria decurrentes apparet non potest.

Si vita ad polum negativum delabitur, exortitur processus vitalis gradus inferioris, qui tendentiae vitae semet perficiendi adversatur, hinc diversum ab illa decursum sequetur, stadia sibi propria ostendet, et ita morbi formam in lucem edet.

Morbus igitur secundum hanc strictiorem determinationem est processus vitalis gradus inferioris ex praevalento principio negativo exortus; et forma generalis morbi est organismus inferior ex organismo sano per praevalens principium negativum progenitus.

Omnis processus vitalis in tempore et in spatio simul se manifestat, et processus quidam in spatio non praesens cogitari nullo modo potest; hinc etiam morbus semper et vires et materias mutatas offerre debet, quamvis interdum mutatio virium, interdum mutatio materierum sensibus nostris penitus evanescat. Ex praegressis itaque concludi necessario debet, divisionem morborum in dynamicos (ubi vires primario modo affectae sunt) et organicos (ubi texture abnormitas virium aberrationem post se trahit) qua fundamentum pathologiae dynamicae, legi oppositionis innixa, assumi non posse.

Quae pro ultima divisione defendenda dici possunt, leguntur in opere, quod ex virorum perspicacissimorum mente inter pathologias primum sibi locum vidicavit, et sunt sequentia:

„Si omnes, quotquot sunt, morbos ad primam originem suam reducimus, ad unum omnes dupli ratione oriri, ex dupli hac origine „duplicem illorum naturam, atque ex dupli hac „natura duplex quoque summum morborum ge-

„nus procedere reperiemus. Omnis morbus ab-
„normi inter corpus vivum et res externas con-
„flictui suam debet existentiam, cuius duplex ra-
„tio esse potest, prouti res externae aut mecha-
„nicae aut dynamice corpus vivum adficiunt. Quae
„mechanice laedunt, mechanicas etiam, seu or-
„ganicas corporis rationes confundunt, quae vero
„dynamice offendunt, vires ejusdem vitales ad
„renisum abnormem sollicitant. In utroque casu
„vita a norma recedit, in utroque oritur morbus,
„sed in singulo natura sua aliis: morbus enim in
„turbatis corporis rationibus mechanicis radicatus
„sub omni respectu aliis erit, ac ille, qui ratio-
„nibus dynamicis a recto tramite aberrantibus
„directe innititur.“

Si autem mutatio virium absque materiac mutatione possibilis non est, quomodo causa quaedam dynamica vires organismi ad renisum abnormem sollicitabit absque organismi mutatione, et res mechanica quomodo confundet rationes corporis organicas, quin vires primario modo ad reactionem abnormem concitarentur? Attamen divisio morborum in dynamicos et organicos argumentis vix citatis in isto opere proprie innixa non videtur; nam ad illam confirmandam ulterius sequentia adducta sunt:

„Et nos omnem morbum ad ipsam vitam pec-
„cantem reducimus, et nos persuasi atque convicti
„et prima hujus operis editione professi sumus,
„neque conceipi posse vitae mutationem absque
„mutata organorum conditione et vice versa, cum
„organa per vitam fiunt et simul faciunt vitam.
„Hinc perperam nobis imputatum, nos organo-
„rum et vitae vitia a se invicem revera separata
„proponere. Nostra morborum in dynamicos et
„organicos divisio longe alius rationis est, et prin-

„cipiis innititur in singulari vitae individuae na-
„tura radicatis.“

„Ante reliqua illud monendum esse censemus,
„magnopere a vero aberrare recentiorum nonnul-
„los, qui animalium et hominis vitam merac et
„absolutae actionis ad instar exponunt. Omnis,
„quae in individuo viget, vita definita est, et cer-
„tis loci atque temporis limitibus circumscripta.
„Ad praescriptas sibi loci temporisque rationes
„suum sibi corpus organicum construit et effor-
„mat, quod formatum non inertem et mortuum
„quasi vitae fructum resert, sed ulteriorem potius
„vitae processum foyet, sustinet atque determi-
„nat; idque non tantum per substantiam suam in-
„ternam, sed per externam quoque, qua praedi-
„tum est, structuram atque formam. Organorum
„ex certis materiis plasticis textura et structura,
„eorum in integra systemata, et horum tandem
„in unum corpus organicum compositio et con-
„junctio suam vitae directionem per spatium de-
„signat, et in causa est, ut vita animalis et hu-
„mana sub actionum et functionum diversarum
„specie in lucem emergat, ut harum singula mu-
„tuo sese sollicitare et in unam vitam conspirare
„possint. Hinc nemo non intelligit, omnem vi-
„tam particularem, omnemque hujus conditionem
„— secundam et adversam valetudinem — non
„solum per certam virium rationem earumque per
„tempus efficaciam, sed et per definitam illarum
„ad locum relationem i. e. per organicam corpo-
„ris, in quo viget, structuram determinari, et
„utramque hanc vivi rationem illi ipsi necessa-
„riam esse et eodem jure ad illius referri natu-
„ram. Si corpus vivum, quatenus agendo certum
„temporis intervallum explet, i. e. in viribus suis
„male adsicitur: morbus oritur, ex mutata illius

„natura procedens; si vero laeditur, quatenus de-
„sinitum loci spatium occupat, i. e. si organica
„illius structura et conformatio turbantur; iterum
„oritur morbus, non minus cum alienata illius
„natura necessario cohaerens.“

Secundum adiata morbi dynamici essent il-
li morbi, qui ex peccante virium indole proce-
dunt, et organici essent dicendi illi, qui ex pec-
cante virium directione, quae ab organorum struc-
tura dependet, originem sumunt.

Vires organa faciunt et ex organis iterum
fiunt, hinc indoles virium absque directione et
vicissim mutari nunquam potest, ut itaque et
hac ratione considerata divisio morborum in
dynamics et organicos admitti nullo modo
possit.

Sed ulterius procedendum erit in evolvenda
divisione morborum ex principio polaritatis re-
petita.

Forma generalis morbi, quae supra definita
est qua organismus inferior ex organismo sano
per praevalens principium negativum progeni-
tus, complectitur essentials morbi relationes,
quae morbo generaliter conveniunt, hinc in quo-
libet morbo speciali occurrere debent. Forma
specialis morbi continet etiam illas relationes,
per quas morbi singuli a se invicem distin-
quuntur.

Quum generalis forma morbi solum forma
vitae inferioris est, neque per se existens cogi-
tari potest, sed cum vita ejusque phaenomenis
necessario nectitur; specialis forma morbi aliun-
de repeti nequit, quam a speciali forma
vitae et organismi. Specialis autem forma vitae
in organismo solummodo qua systema et orga-
non adparet, ergo specialis forma morbi a spe-

ciali systemate et organo determinabitur. Datur hinc unica tantum anomalia processus vitalis, morbi nomine insignienda, quae vero in diversis formis processus vitalis sub diversa facie adparet et formas morborum speciales constituit. Ipsi illi morbi, qui per semina et contagium propagantur, et hinc quasi magis substantiva adparent, quo et vermes intestinales et hydatides pertinent, ab organo illos generante semper dependent, neque per se ab illo separati existere possent, et quum formam sibi propriam a certo tantum organo, in quo generantur, repetunt, statim in alias formas abeunt, quam primum in organismo vel organo tantum analogo propagantur. Ita variola vaccina in vaccis producit sibi propriam formam, in equis aliam (Mauke), in canibus morbum iterum singularem, in ovibus variolas ovinas; idem itaque morbus, eodem semine generatus in quolibet singulari organismo aliam induit formam. Pariter contagium gangraenae splenicae in homine producit carbunculum; contagium scarlatinae hanc genuinam solum aetate juvenili, contagium typhosum morbum sibi congruum tantum virili progenerat. In infante tenello scarlatina si occurrit, levior est, typhus hanc actatem nunquam abgreditur sicuti et pestis orientalis. Morbus venereus in membrana mucosa sub forma blennorrhoeae, in cute sub forma condylomatis, verrucae, ulceris, in vasis sanquieris oculi sub forma inflammationis, in retina qua amaurosis, in systemate nervoso qua spasmus, in cerebro qua mania in conspectum venit.

Exinde etiam explicari potest phaenomenon metaschematismi et metastasis. Eadem nempe momenta causalia morbi persaepe in

organo, in quod immediate agunt, morbum huic congruum non producunt, verum in organo vel systemate alio ad concipiendum morbum magis opportuno; sub metaschematismo in organo analogo, sub metastasi in organo diverso. Hac ratione refrigerium in altero casu causat rheumatismum, in altero pneumoniam, alias inde meningitis ortum sumit, alias iterum hepatitis, in hoc oritur insultus asthmaticus, in alio mania.

Sic athmia Millari acentum cum angina membranacea iisdem producitur causis, prius in individuis cum systemate nervoso praevalente, angina membranacea in illis, ubi sistema sanguiferum dominatur, et haec in illud abit, si in aegro nervi sanquini principatum abripiunt. Non minus huc morbi larvati dicti pertinent. Scabies in cute, syphilis in systemate mucoso et lymphatico sub forma sibi propria adparent. In pulmonibus inflammationem, in nervis spasmum, in cerebro maniam generant, et sic sub forma alia obvelantur. Febris intermittens, arthritis, si ad organa sibi non convenientia transiliunt, sub forma apoplexiae, epilepsiae, hemiceraniae, asthmatis etc. conspiciuntur, et hanc larvam iterum dejiciunt, quamprimum ad organa sibi propria regrediuntur. Sententia itaque supra ex principiis deducta, quod nempe morborum diversitas solum ab organismorum et organorum differentia dependeat, per experientiam satis confirmatur, ut igitur principium divisionis morborum ex diversitate organismorum et organorum repetendum sit; et quot processus vitalis formae singulares sunt, tot morborum formas singulares sistema nosologicum comprehendere debet. Formae singulares processus vitalis autem sunt:

- I. organa singula
- II. systemata singula
- III. organismus totus
- IV. Plures organismi simul sumti.

Organon est individuum gradus inferioris; morbus itaque ab organo quodam progenitus formam suam specialem ab hoc accipiet, qua species singularis morborum in conspectum prodibit; sicuti autem organa singula in systematibus singulis ad unitatem altiorem conjunguntur, ita et species morborum sua a systematibus organismi genera accipiunt. Haec genera sunt: Morbi vegetativi, animales et sensitivi, et species dein erunt horum formae singulares ab organis singularibus determinatae. Ast sicuti systemata ex organis singulis componuntur, ita et singulum sistema partem integrantem totius organismi constituit, et sicuti morbi existunt organorum singulorum systematis vegetativi, animalis et sensitivi, ita etiam dantur morbi totius cujusdam systematis, ubi omnia organa unum sistema constituentia morbo laborant, non qua organa singularia, sed qua unum totum, et talis morbus considerandus erit non qua summa affectionum partialium sed qua processus abnormis primitivus totius systematis. Inde iterum habentur species morborum, ast seriei altioris, qui ad morbos speciales singulorum organorum se habent, sicuti sistema ad organon. Huc pertinent ex morbis vegetativis: scrophulac, rachitis, scorbutus et probabiliter etiam lepra cum suis varicatibus; ex morbis animalibus huc numerari possunt: haemorrhoides, morbi ex menstruis, apoplexia sanguinea; ex morbis sensitivis: incubus, animi deliquium, vertigo; catalepsis, somnambulismus.

Ouum sub ejusmodi morbis totum sistema affectum est, illis praesentibus etiam omnes formae speciales organorum singulorum hujus systematis apparere possunt, si morbus totius systematis in singulari quodam organo maxime excrescit. Hinc sub morbo totius systematis vegetativi glandulae nonnullae prae reliquis corrumpi, sub morbo systematis sanquieri organa quaedam inflamari, sub morbos systematis nervosi nervi singuli spasmo corripi possunt.

Systemata ad unitatem conjuncta organismum perfectum constituant. Et iste qua totum morbo corripiatur, necesse est, non solum ob organa vel systemata singula morbo affecta; et tunc morbus specialis quidem exoritur, attamen serici iterum altioris, quo exanthemata pertinere videntur. Tandem et societas humana qua totum morbo laborans cogitar potest. Exoritur inde morbi species serici altissimae, quae epidemia vocatur. Epidemia est processus morbosus magnus, qui secundum generales vitae et morbi leges decurrit, et in quo morbi individuales singulorum hominum, systematum et organorum continentur.

Hinc secundum quatuor diversas unitates vitae humanae sequentes quatuor classes morborum statui possunt:

Classis I. Processus morbosi singulorum organorum ad sistema singulum pertinentium; morbi locales. In his determinandis nonnunquam admodum arduum est, morbum localem organi cuiusdam cum affectione consensuali totius systematis, a morbo toti systemati proprio discernere. Sic v. q. determinatu difficile est, utrum arthritis sit morbus singulorum organorum systematis vegetativi, vel an potius toti systemati vegetativo competit.

Classis II. Processus morbosi systematis totius, ubi primario modo et non per consensum aut infectionem totum sistema morbo corripitur. Huc pertinent morbi evolutionis et revolutionis systematum singulorum v. g. scrophulae, rachitis, morbi ex dentitione, ex menstruorum apparitione, haemorrhoides, arthritis, lithiasis. Ab his diversi sunt morbi per infectionem ad systemata integra propagati v. g. syphilis universalis, scabies, herpes, quia hic plura organa juxta se aegrotant, quin processum morbosum unicum constituant. Hac duae classes morborum, organorum singulorum et systematum, constituunt unam sectionem principalem, nempe: morbos locales singulorum systematum et organorum; qui dein in tria genera disperiuntur:

a) Morbi locales vegetativi.

Morbi organorum systematis vegetativi et totius systematis vegetativi.

b) Morbi locales animales.

Morbi organorum systematis animalis et totius systematis animalis.

c) Morbi sensitivi.

Morbi organorum systematis sensitivi et totius systematis sensitivi.

Classis III. Processus morbosi totius organismi humani primitivo modo exorti et non per consensum aut infectionem ad omnia systemata propagati. Morbi generales.

Character essentialis horum morborum est, quod per unum eundemque processum morbosum omnia organa et systemata organismi secundum leges generales decursus morbi, primario modo et non per consensum vel per infectionem aegrotent, quod itaqui organismus qua toluum, non qua compositum ex pluribus unitatibus morbo

corripiatur. Quia processus morbosus quilibet, sicuti vita, primo stadium vegetativum, dein animale, tandem sensitivum percurrere debet, morbus totius organismi hanc legem clarissime expressam offerat necesse est, et sub ejusmodi morbo in primo stadio omnia organa vegetativa, in altero omnia organa systematis animalis, in tertio totum sistema sensitivum processu morboso corripieuntur. Hunc characterem tantum exanthemata; variolae, morbili, scarlatina, et typhus contagiosus offerunt.

Omnes alii morbi qui sensim et non secundum leges morbi generalis organismum totum destruunt, ad morbos generales pertinere non possunt, sed sunt sequelae morborum localium v. g. lues consumata phthisis, atrophia et febres omnes consensuales inflammationem localem concomitantes.

Classis IV. Morbi ex causis cosmicis, qui societatem humanam qua totum adgrediuntur, et iterum processus morbosos secundum leges morbi generales recurrentes constituunt. Tali modo organismi singuli aegrotantes adparent qua partes constituentes unitatis altioris, qua organa organismi altioris, qui qua totum morbo corripitur, per stadia cuiilibet morbo assignata recurrente.

Morbi individuorum ad totum processum morbosum se habent, sicuti glandulae unius tumor ad scrophulas, sicuti variola una ad morbum variolosum. Huc pertinent epidemiac.

Sicuti morbus localis sensim sensimque omnia corporis organa perrepere quidem potest, attenuatamen numquam jure merito qua universalis salutabitur, ita et societas humana per morbum contagiosum tota vel pro maxima parte corripi potest, ast talis morbus cum epidemia vera confundendus

non erit, quum tunc societas humana non qua totum aegrotat, hinc propagatio morbi arceri, et morbi decursus nunc in longum extendi, nunc vero abbreviari potest; huc v. g. pertinet syphilis et probabiliter etiam cholera asiatica in nostris regionibus.

Secundum praegressa itaque statui posset sequens schema morborum

Sectio I. Morbi generales.

Classis I. Morbi generales totius populi. Epidemiae.

Classis II. Morbi generales totius organismi singulorum hominum. Exanthemata.

Sectio II. Morbi locales.

Classis III. Morbi locales systematis vegetativi et organorum systematis vegetativi.

Genus 1. Morbi locales totius systematis vegetativi. Scrophulac, rachitis, morbus ex dentitione, arthritis, lithiasis, lepra, scorbutus.

Genus 2. Morbi locales organorum singulorum systematis vegetativi: Tumores, excrescentiae etc.

Classis IV. Morbi locales systematis animalis et organorum systematis animalis.

Genus 1. Morbi locales totius systematis animalis. Haemorrhoides, morbi ex menstruis apparentibus.

Genus 2. Morbi locales singulorum organorum systematis animalis. Inflammationes.

Classis V. Morbi locales systematis sensiferi et organorum systematis sensiferi.

Genus 1. Morbi locales totius systematis sensiferi: Vertigo, sopor, animi deliquium,

apoplexia, catalepsis, epilepsia, incubus, somnambulismus.

Genus 2. Morbi locales singulorum organorum systematis sensitivi: Tetanus, trismus, chorea Sti Viti, raphania, pertussis, asthma spasmodicum, spasmus quilibet, rheumatalgia, cephalaea, odontalgia, cardialgia, hemicrania, prosopalgia, colica spastica, mania, melancholia, moria, fatuitas etc.

Si processus vitalis ad polum positivum declinat, a tramiti sibi praescripto recedit quidem, ast singularis morbi forma non exoritur, quia tendentia vitae universae versus polum positivum directa est; attamen homo sub tali rerum statu nequaquam sanitate vera gaudet, et quia tunc propter sensilitatem exaltatam potentiis nocivis multo magis patet, quam homo sanus, ejusmodi status nomine dispositionis ad morbos exaltatae insigniendus erit. Et dispositio haec ad morbum exaltata differentias nonnisi ab organis diversis, ubi evolvitur, repetere poterit, ut igitur statui possit sequens ejus schema:

Sectio I. Dispositio ad morbos exaltata generalis: Tabes; quae si in systemate quodam praeprimis concentratur, variam iterum formam induit.

- a) In systemate vegetativo: atrophia
- b) In systemate animali: phthisis ulcerosa
- c) In systemate sensitivo: Tabes nervosa.

Sectio II. Dispositio ad morbos exaltata localis, quae etiam in systematibus diversis subvaria forma adparet, a diversitate organorum dependente.

- a) In systemate vegetativo: blennorrhoea, polycholia, diabetes, diarrhoea, ephydrosis, galactirhoea.

b) In systemate animali: haemorrhagiae, congestiones.

c) In systemate sensitivo: agrypnia, hysteria, hypochondria, oxyopia, extasis, paracusis etc.

Pars quaedam organismi mori potest, quin ideo organismus totus obire debeat, hinc mors partialis in organismo relative sano vel morbo affecto occurrere poterit, ut itaque in systemate nosologico et hujus status mentio facienda sit. Mors localis vel solum restringitur ad vitam sensiferam vita animali et vegetativa adhuc praesento: paralysie; vel et animalem jam confecit: gangraena vel est mors completa: sphacelus.

Tandem vita adeo debilis, ut per tempus mortis imaginem mentiatur: asphyxia.

Hacc esset divisio logica statuum abnormium, quae et morbos, et dispositiones ad morbum exaltatas et phaenomena mortis partialis complectitur. Ast oritur quaestio gravissima, utrum secundum hanc in pathologia et therapia speciali morbi disponi cum utilitate practica possint. Sunt rationes sat graves, quae negative ad hanc quaestionem respondere jubent:

1. Negari quidem non potest, quod processus morbosus et dispositio ad morbum exaltata a se invicem essentialiter differant; ast in multis casibus ad lectos agrorum et dispositio exaltata et morbus simul occurrit; quum dispositio exaltata antecedens progenerandis morbis admodum fayet. Hac ratione symptomata morbi et dispositionis ad morbum exaltatae commiscentur, neque in pathologia speciali separari possunt, sed qua processus complicati scorsim pertractandi erunt. Sic praesente dispositione exaltata in organis muciparis praeter blennorrhoeam exoriuntur excrescen-

tiae, polypi, tumores. Ita phthisis tuberculosa composita est ex dispositione ad morbum exaltata et morbo, quod et de phthysi ulcerosa dicendum erit, Hypochondria et hysteria est dispositio ad morbum exaltata generalis in systemate sensifero; ast saepissime cum morbis localibus systematis sensitivi: spasmis conjuncta occurrit.

Nec minus mors localis et asphyxia a morbo essentia sua discrepant; in praxi autem qua sequelae morborum occurrunt, neque ab illis separari possunt.

2. Secundum hanc divisionem in morbis localibus sistema genus, organon speciem morbi determinat. In multis tamen morbis melius erit, rem invertere, et characterem generalem ab organo, specialem a systemate desumere, hinc omnes morbos locales unius organi qua genus statuere, cuius species dein per systema in hoc organo morbo affectum determinatur;

nam. a) Saepe saepius morbi locales singulorum organorum per recidivas chronici evadunt, corripiunt per consensum plura systemata, et ita nunc sub forma morbi vegetativi, nunc sub forma morbi animalis, vel sensitivi adparent. Sic arthritis, quamvis primario modo morbus membranae synovialis in suo decursu sub forma morbi vegetativi, animalis et sensitivo adparere potest.

b) Saepius symptomata tantum morbi curari, et hac ex causa in pathologia et therapia speciali pertractari debent; ista nunc ex systemate animali, nunc ex sensitivo originent sumunt, characterem itaque generalem ab organo correpto, specialem autem a peculiari modo affectionis accipiunt. Omnes haemorrhagiae symptoma tantum constituant morbi systematis sanguiferi, et oriuntur interdum primario modo: haemorrhagiae inflamma-

toriae, alias ex affectione morbosa systematis nervosi: haemorrhagiae spasticae. Ita vomitus qua symptoma singulum nunc in morbo inflammatio-rio, nunc in morbo vegetativo, nunc in sensitivo morbo ventriculi radicatur; quod et de colica, ischuria etc. valet. Si igitur quis secundum sys-te-ma expositum vomitum, haemorrhagias disponere vellet, haec symptomata inter morbos systematis vegetativi, animalis et sensitivi collocari deberent. Quum tamen isti status abnormes, licet propri symptoma aliis morbi, qua status morbos singularis considerari debent, suum characterem genera-lem aliunde repetere nequeunt, nisi ab organo in quo oriuntur et specialem a systemate, quod in hoc organo affectum est. Haemorrhagiae itaque pertinent in classem morborum systematis animalis, genus ab organo desumitur haemorrhagia laborante et ex charactere speciali vel sunt spasticae vel inflammatoriae.

c) Processus morbos systematis vegetativi, animalis et sensitivi ejusdem organi in eodem in-dividuo saepius alternatim se excipiunt, inde exoriuntur diversae formae speciales morborum organi cuiusdam et qua species cuiusdam affectio-nis morbosae generalis hujus organi adparent, sic v. g. blennorrhoca est forma vegetativa luis sy-philitiae, ulcus syphiliticum et bubo ad formam magis animalem pertinent, et lues universalis sa-pe formam morbi sensitivi acquirit. Notandum ad-huc est, in curandis morbis multa emolumenta prodire ex eo, si morbi singulorum organorum secundum organa disponuntur, quia character or-gani essentialis omnibus morbis sub quacunque forma adparentibus faciem propriam impertitur. Ita omnes morbi oculorum, quamvis sub forma vegetativa, animali et sensitiva occurruant, cha-

raéterem proprium ostendunt, quem ab oculo
qua sensus externi organo adipiscuntur; idem ob-
servari potest in morbis pulmonum, cerebri, ca-
nalis alimentaris etc.

Sicuti itaque in organismo humano systema-
ta generaliter altioris seriei sunt, quam organa;
ast organon quodlibet pro se consideratum qua
organismus singularis ex systematibus componi-
tur, hinc illis superior est; ita et in disponendis
morbis generaliter statui debet quod genus a sy-
stemate, species ab organo desumenda sit; in
morbis autem organorum specialibus pertractan-
dis saepe saepius organon adfectum genus et sy-
stema in hoc organo morbo laborans speciem
desiniet.

Morborum igitur divisio pathologiae et the-
rapiae speciali magis respondens sequens propo-
ni potest:

Sectio I. Morbi generales.

Classis I. Morbi generales totius organismi hu-
mani. Exanthemata.

Classis II. Morbi generales totius populi.
Epidemiae.

Sectio II. Morbi locales.

Classis III. Morbi locales organorum systema-
tis vegetativi:

a) Morbi totius systematis vegetativi:
Scrophulae, lues, rachitis etc.

b) Morbi singulorum organorum systema-
tis vegetativi. Morbi canalis alimen-
taris, hepatis, cutis etc.

Classis IV. Morbi locales systematis animalis.

a) Morbi totius systematis animalis: haem-
orrhagiae.

b) Morbi singulorum organorum systematis animalis. Inflammationes.

Classis V. Morbi locales systematis sensitivi.

a) Morbi totius systematis sensitivi: catalepsis, epilepsia, somnambulismus etc.

b) Morbi singulorum organorum systematis sensitivi: Nevroses et animi alienationes.

Classis VI. Morbi locales complicati.

1. Complicatio dispositionis ad morbum exaltatae cum processibus morbosis.

a) Dispositio ad morbum exaltata universalis.

b) Dispositio ad morbum exaltata lobalis.

2. Intoxications.

3. Asphyxia.

Sectio III. Morbi organorum sensuum.

Classis VII. Morbi oculorum.

Classis VIII. Morbi organi auditus.

Haec morborum divisio proposita est a celeberrimo Kieser. Neque tempus neque vires hucusque mihi concessae sunt, illam ita examinandi, ut aut de illius veritate, aut de illius falsitate penitus convincerer; ast quousque illam penetrare poteram, saltem omnibus aliis divisionibus praferenda mihi videbatur, quum, divisionis principium ex organorum diversitate repetendum esse, satis persuasum habeo.

A primis scientiae medicae temporibus ad nostra usque plurimae et inter se admodum diversae constructae sunt morborum divisiones nunc ex nosographia generali, nunc ex aetiologya; alias ex symptomatologia, alias ex nosologia desumptae. Divisiones morborum ex nosographia

generali repetitae sunt: Divisio Asclepiadis Bythyni in morbos acutos et chronicos et priorum in acutissimos, peracutos, acutos et ex decidentia acutos subdivisio serius facta, prouti morbus aut non ultra quatriduum extenditur, aut diebus septem terminatur, aut ad diem vigesimum primum aut ad quadragesimum protrahitur. Chronicī morbi sunt, qui ultra hunc terminum aegros affligunt. Ex hac divisione medicus nil aliud desumere poterit, nisi quod aegrū morbo chronicō laborantem per longius tempus frequentare debeat, quam illum, qui morbo acuto distinctur.

Divisio in morbos internos et externos cunctam habet valorem, ac, quae eidem superstructa quondam est, artis medicae divisio in medicinam et chirurgiam. Per experientiam constat, morbos haereditarios semper, congenitos in plurimis casibus arti medicae difficilius cedere, quam adquisitos. Aliam utilitatem haec divisio non habet.

Morbi continentēs, remittēntes et intermittentēs saepissime alter in alterum abeunt, et a se invicem non nisi gradu differe videntur.

Melior videri posset morborum divisio secundum aetates. Quum homo sub vitae incremento aliud offert characterem, ac sub illius decremente, quum sub periodo incrementi polus positivus, tendentia semet perficiendi, evolutio facultatum altiorum ex inferioribus, assimilatio et productio praevalent; sub periodo decrementi autem polus negativus, tendentia retrograda, interitus facultatum altiorum ante inferiores, reductio materiae organicae et excretio praeponderant, quum dein sub singula vitae periodo organismus necessario aliis est, etiam morbi variarum aetatum aliam faciem praec se ferent, et sic divisio secundum aetates aliquomodo congruit cum illa

secundum organorum diversitatem. Sequens itaque divisio utilitate non caret, et hincinde jam tentata est.

Sectio I. Morbi vitae incrementi.

Classis I. Morbi aetatis infantilis: Huc pertinent morbi embryonatus, monstrositates connatae, morbi congeniti; asphyxia, icterus, ophthalmia, trismus neonatorum; morbus verminosus, morbi ex dentitione, variolae, morbili, scrophulae, rachitis, angina membranacea, encephalitis infantum etc.

Classis II. Morbi aetatis juvenilis: Chlorosis, menstrua peccantia, somnambulismus, pollutiones excedentes, tabes dorsalis, inflamatio pulmonum, haemoptysis, phthisis florida.

Classis III. Morbi aetatis virilis: Typhus, morbi ex graviditate, mentis alienationes.

Sectio II. Morbi vitae decrementi.

Classis I. Sub decremente vitae sensiferac: Morbi in systemate venae portarum, hepatitis, lienis, haemorrhoides, haematemesis, cardialgia, arthritis, diabetes, lithiasis etc.

Classis II. Morbi sub decremente vitae animalis: Hydrops, scirrhus, cancer, ulcera pendum, herpes asthma senum.

Classis III. Morbi sub decremente vitae vegetativae: Marasmus senilis, gangraena, sphacelus.

Attamen multis morbis in hoc sistema locus indicari non potest v. g. dysenteriae, rheumatismo, febri intermittenti, ictero, lui syphiliticae etc.; dein et generum et specierum morborum

determinatio impossibilis est. Pro systemate itaque nosologico universali haec divisio apta non est. Morborum partitio ex aetiologya desumpta in morbos hyemales, vernales, aestivos, autumnales, contagiosos et non contagiosos, medici attentione digna quidem est, solus tamen ad morborum causas et originem respectus sistema nosologicum valde imperfectum suppeditabit; nam cum multae causae ignorantur, et una eademque causa occasionalis diverso morbo producendo par est, cum vicissim unus idemque morbus causas diversas agnoscit, et ex morbi origine cognita ad ejusdem naturam non ubique tuto concluditur, tale sistema medico pratico nequaquam sufficit.

Medicus de morbo praesente judicare non potest, nisi ex symptomatibus, et morbi a se invicem aliter non destinquuntur, nisi per symptomata. Systema itaque nosologicum ex symptomatologia desumptum non tantum pro medico pratico, uti dicunt, utile est, sed, si rite constructum fuerit, necessario cum systemate ex theoria vera repetito congruere debet; nam morbi natura diversa etiam symptomata diversa in lucem edat. necesse est. Plurima ejusmodi systemata jam existunt, omnia adhuc imperfecta, et arduum est, indicare solum, quale inter omnia veritati proxime accedat. Huc pertinet:

Morborum divisio in febries et non febries, quae admodum ad ridebat practicis, quia febris momentum sistit in quovis morbo medici attentione dignissimum, et medelam maxima pro parte dirigit. Ast morbos accuratius pervolvendo vix aliquis invenietur, cui febris vel ab initio vel in decursu, vel sub finem sociam se addere non posset. Essent itaque morbi vix non omnes febries.

Postquam Carolus Linne botanices studium

per systema suum adeo facilitasset, ejus methodus et in disponendis morbis introducta est, et Boisier de Sauvages professor Monspeliensis in sua Nosologia methodica sequentes statuit classes :

- I. Vitia externa.
- II. Febres.
- III. Phlegmasiae cum inflammatione interna
aut exanthematica.
- IV. Spasmi.
- V. Anhelationes.
- VI. Debilitates.
- VII. Dolores.
- VIII. Vesaniae (errores judicii, imaginationis
et appetentiarum).
- IX. Fluxus.
- X. Cachexias.

Viri in praxi medica experti mox perspexerunt, in hoc systemate familias morborum nimis multas adductas : esse, species morborum cum varietatibus commisceri, symptomatum accidentalium saepe majorem habitam fuisse rationem, quam essentialium. Ex hac causa sistema hoc a variis auctoribus varie mutatum est. Carolus Vitet ad novem tantum classes omnes morbos reducere conatus est, nempe :

- I. Febres.
- II. Inflammationes.
- III. Dolores.
- IV. Morbos convulsivos.
- V. Morbos mentis.
- VI. Debilitates.
- VII. Evacuationes.
- VIII. Errores loci.
- IX. Morbos ex materiais retentis ;

cum contra Joh. Bapt. Sagar physicus in Moravia morbos in classes XII, genera 551, et species 2500 extendebat.

Multis vero medicis simplicitate majore magis placuit sistema nosologicum Cullenii, qui omnes morbos ad quatuor classes redegit, quarum

- I. Pyrexias.
- II. Neuroses.
- III. Cachexias.
- IV. Morbos locales comprehendit.

Systema Cullenii persicere praecepue adnitus est Fr. Swediaur, qui novum nosologiae methodicæ systema edidit anno 1812 totum morborum exercitum in quinque classes disponens, quarum I. Morbos febriles.

- II. Excretiones abnormes.
- III. Morbos ex irritabilitate fibrarum motricium et ex sensilitate nervorum abnormi.
- IV. Morbos ex solidorum et fluidorum vocationatos,
- V. Morbos locales continet.

Carolus Linné morbos cum minori felicitate quam plantas classificans compendiosum systema sed solummodo genericum construxit, quod itaque scopo minus respondeat, cum in specialibus morbis nullae exinde indicationes deduci possunt. Classes statuit undecim.

Rud. Aug. Vogel a Linnei systemate non multum recessit et Samuel Gottlieb Vogel ad methodum Sauvagesii inclinare videtur.

Ab omnibus reliquis diversum est systema a Dav. Macbride anno 1772 editum, in quo morborum classes inveniuntur sequentes quatuor:

- I. Universales Morbi.
- II. Topici.
- III. Sexuales.
- IV. Infantum.

Systemati Cullenii celeberrimus Valentin ab Hildenbrand addidit unam classem: Eccrides, et sic quinque morborum statuit familias: I. Febres.
II. Cachexias. III. Neuroses. IV. Eccrides. V. Virtus locolia.

Cum vero hoc sistema limitibus angustioribus circumscriptum videbatur, a viris clarissimis J. Petro Frank, Curtio Sprengel, Nobili de Raimann, ita extensum est, ut septem morborum classes caperet; in specie J. S. Frank:

- I. Febres.
- II. Inflammationes.
- III. Exanthemata.
- IV. Impetigines.
- V. Prosluvia.
- VI. Retentiones.
- VII. Neuroses.

Summus nosologus Curtius Sprengel :

- I. Morbos febries.
- II. Inflammatorios.
- III. Cutaneos.
- IV. Exerctorios.
- V. Dolorosos.
- VI. Neuroses.
- VII. Cachecticos.

Nobilis de Raimann

- I. Febres.
- II. Inflammationes.
- III. Efflorescentias cutaneas.

IV. Cachexias.

V. Ecclises.

VI. Neuroses.

VII. Vitia organica qua classes morborum statuerunt.

Systema tamen nosologicum ex theoria vera derivatum reliquis omnibus palmani cripere, medici omnis aevi plurimi persuasum habuerunt, ex quo nec unquam deerant pericula, tale systema construendi. Inter antiquissimos medicos ipse Hippocrates quaedam de morborum rite dividendorum necessitate protulit, et quum philosophiae Empedoclis de quatuor elementis additus erat, quatuor quoque qualitates morbosas, elementis correspondentes agnovit, ex quo patet, illum in contemplanda vita sana et morbosa veritati proprius accessisse, quam illos, qui pro vita et morbo exponendo vim aliquam vitalem sui generis statuerunt.

Fundata dein ab Epicuro philosophia corporculari, quae, quamvis a vero abludens, attamen veteres jam in inveniendo principio supremo multum desudasse, testatur, dogmaticorum pathologia humoralis mox relictta est, et solidis organismi partibus majore dignitate attributa morbi in strictos laxos et mixtos separati sunt.

Claudius galenus, in quo medicina veterum culmen, suum adepta est, scholae eclecticae additus alter Hippocrates omnes sui et praegressi temporis doctrinas collegit, et animo sereno, nomini suo conformiter, scientiam medicam in sistema rededit, omnes vitae relationes: dynamicas, chemicas et organicas respiciens, ultimis tamen valorem maximum concedens. Principium vitae pneuma est, et huic subditae vires vitales, ani-

males et naturales. Organismus componitur quatuor elementis; elementum praevalens qualitates primas, elementorum mixtio qualitates secundas determinat, per quas quatuor humores cardinales et sensuum impressiones oriuntur. Omnes morbi recedunt in morbos partium similarium et organorum. Piores oriuntur ex proportione vitiata in elementorum mixtione, et subdividuntur in calidos, frigidos, siccros, humidos mixtosque. Morbi organorum referuntur ad numerum, figuram, quantitatem et situm partium.

Per seriem mille et sexcentorum annorum principatum in medicina tenuit Galenus; neque nostris temporibus illius doctrina ex medicorum practicorum operibus penitus expulsa est. Frid. Hoffmann doctrinam Galeni adpellat: Nominalem medicinam, pure scholasticam, phantasiae tantum filiam, ast tempora postera Fridericum Hoffmann longe postposuerunt Galeno.

Qui verborum sonum aure tantum percipit, quin sensum cognoscat, huic omnis antiquitas inanis apparet, neque a contemporaneis plus quam mechanicam imitationem addiscet.

Franc. Sylvius de le Boë omnes morbos in duas redigere conatus est classes, quarum prima morbos ex acido, altera morbos ex alcali praevalente comprehendit. Si his expressionibus qua symbolis usus fuisset, congrueret cum doctrina recente, quum vero sibi revera acidum et alcali cogitavit, remedia contra suppositam fermentationem acidam alcalia, et contra alcalinam acida applicavit.

Seriori tempore medici eclectici doctrinam Fr. Hoffmanni admodum pusillam et Stahlii nimis phantasticam credentes principia dynamica, chemica et mechanica in unum congerebant. Exor-

tae sunt inde divisiones, nullo fere fundamento innixaæ. Qua specimem hic inserviat divisio morborum invenienda in commentariis Gerhardi van Swieten in Boerhavii aphorismos 1755.

Sectio I. Morbi simplicis.

I. Morbi partium solidarum.

- a. Morbi fibrarum simplicium firmarum
- b. Morbi fibrarum simplicium infirmarum et laxarum.
- c. Morbi fibrarum elasticarum et rigidarum.
- d. Morbi minimorum et majorum vasorum.
- e. Morbi infirmorum et laxorum viscerum.
- f. Morbi viscerum firmorum et rigidorum.

2. Morbi humorum.

- a. Morbi ab acido per se orto.
- b. Morbi ex pituita tenaci per se orta.
- c. Morbi ex alcali.
- d. Morbi ex circuitu sanguinis excedente.
- e. Morbi ex sanguinis circuitu infimo et ex plethora.

Sectio II. Morbi compositi.

- | | |
|---------------------------------|----------------------------------|
| 1. De obstructione. | 2. De vulneribus. |
| 3. De haemorrhagia | 4. De dolore. |
| 5. De combustione. | 6. De vulneribus capitis. |
| 7. De vulneribus pecto-
ris. | 8. De vulneribus abdo-
minis. |
| 9. De contusione. | 10. De fractura ossis. |
| 11. De luxatione. | 12. De inflammatione. |
| 13. De abscessu. | 14. De fistulis. |

- | | |
|---------------------|-------------------------|
| 15. De gangraena. | 16. De sphacelo. |
| 17. De combustione. | 18. De tumore indurato. |
| 19. De cancro. | 20. Morbi ossium. |

Christian Ludov. Hoffmann omnes morbos dividebat in I. morbos ex putrescentia humorum et II. morbo ex fermentatione acida.

Medicamina in antiseptica et absorbentia sejunguntur; haec ab Sylvii doctrina diversa non sunt.

Postquam ex chemia phlogistica antiphlogisticam construxerint, theoria jatrochemica antiqua absque permutatione manere non potuit, et sicuti prius ex mixtione humorum vitiata, ab acido, putrescentia morbi repetiti sunt, ita nunc systema exortum, comprehendens

morbos I. Oxygenationis.

II. Calorificationis.

III. Hydrogenationis.

IV. Azotisationis.

V. Phosphorisationis; et nullum du-
bium est, hujus systematis auctorem cuilibet
morbo locum congruum assignasse.

Nullum tamen systeme medicis practicis, de theoretica divisione plerumque minus sollicitis magis placuit, quam quod J. Brown Londini anno 1780 divulgavit, morbos omnes in morbos incitationis seu universales et in morbos locales sejungens.

Cum omnibus prioribus systematibus minime contentus, medicinae praticae tunc temporis celebatae insufficientiam in curanda sua arthritide et pluribus aliis morbis pluries expertus, tandem in opio et vino remedia malum suum pro tempore mitigantia inveniens, incitationis rationem normalem pro sanitate declaravit, quam ab

organismi incitabilitate et potentiis externis incitantibus productam agnoscit; ast Brown incitabilitatem suam non qua vim sui generis, sicuti plures ejus associati, sed solum qua conceptum maxime generalem ex contemplatione organismi viventis abstractum consideravit, et bene perspexit, incitabilitatem suam qua principium vitae considerari non posse; sed potius mentem humanam hoc principio intelligendo imparem contendebat, suam theoriam cum illa gravitationis Newtoni comparans et argumentis refutans illos, qui vim gravitationis pariter ac suam incitabilitatem ex viribus adhuc altioribus explicare conati sunt. Persaepe etiam monet, se nonnunquam quidem loqui de incitabilitate aucta, deficiente, increscente, adaequata, ast haec solum verba esse, et contemplationem tantum diversi status organismi dilucidare posse, quid sub illis proprie intelligendum sit. Exinde patet, Brunoni multa imputata fuisse, de quibus ille fere contrarium docebat.

Röschlaub morbos dividit in morbos subjectivitatis et in morbos objectivitatis.

Morbi subjectivitatis sunt morbi principii vitae, morbi dynamici; morbi objectivitatis sunt morbi producti principii vitae, organismi, hinc morbi organici; quum tamen principium vitae a suo producto separatum cogitari non potest, haec divisio falsis adnumeranda erit. Hoc etiam valet de divisione proposita a Troxler in morbos dynamicos et plasticos, prouti nempe vires organismi magis affecti adparent, vel vero morbus ex permutatis materiis organicis maxime cognoscitur. Praeter falsitatem principii divisionis hoc sistema adhuc premitur difficultate vix superanda in dispositione morborum specialium, quia inter has duas classis nullus terminus assignari poterit.

Reil morbos secundum horum relationes ad polos galvanismi animalis in duas sectiones redigere proposuit; in quantum nempe vel praecipue ad systema vasorum vel vero sensiferum referendi sunt. Hinc essent:

1. Morbi ad sistema vasorum spectantes.

- a) Inflammationes.
- b) Congestiones..
- c) Haemorrhagiae.
- d) Morbi secretionum et excretionum.
- e) Efflorescentiae cutaneae.

2. Morbi referendi ad sistema nervosum.

- a) Morbi sensus interni.
- b) Morbi sensus externi.
- c) Morbi sensus communis.
- d) Morbi organorum motus.

Morbi adhuc residui, quorum relatio nondum patet, in classe tertia absque ordine expnendi essent, usque dum magis cogniti in prioribus duabus classibus locum inveniunt.

In hoc systemate morbi vegetativi locum non habent, quibus carens pathologia specialis incompleta erit. Ridicula tandem est morborum divisio secundum curandi methodos a Selle proplata, in morbos gastricos, phlogisticos, septicos, pituitosos et nervosos, quia methodus mendendi ex morbo, non hic ex illa determinari debet. Quod ex physiologia et non ex pathologia principium divisionis morborum desumendum sit, contendit Godofredus Plouquet, morborum classes secundum functiones organismi humani ordinans, earumque sequentes septem statuens:

- I. Morbi nervosi.
- II. Morbi circulationis.
- III. Morbi respirationis.
- IV. Morbi nutritionis.
- V. Morbi excretionum.
- VI. Morbi sexuales.
- VII. Mutationes qualitatum sensibilium corporis humani abnormes.

Hoc systema in eo tantum minus bene constructum esse videtur, quod morbis universalibus penitus neglectis morborum localium classes nunc secundum systemata, nunc secundum organa determinat.

Theses defendendae.

1.

Sanquinis ab omni contagio immunitas non-dum demonstrata est.

2.

Morborum divisio in dynamicos et organicos non est scientifica.

3.

Theoria medica adhuc multum imperfecta admodum fallax est in aegrorum tractamine; nihil minus

4.

Medicus absque theoria esse non potest.

5.

Principium divisionis morborum est diversitas organismorum et organorum.

6.

Brousaesii theoria medica omnium infirmitatum.

7.

Regimen subfrigidum in scarlatina regulari optimum.


8.


Venaesectiones in potatorum delirio cum tremoribus rarissime levamen, plerumque damnum adferunt.

9.

Artis medicacae in chirurgiam et medicinam proprie sic dictam separatio fundamento carens parum boni, multum vero mali causat.








UB Med Uni Wien



+AM273377503



www.books2ebooks.eu